EPISTOLA XXI.

S. Quæso, ut calamitatem Tibi cætera dicantem, audias, quæ nunc occupatissimus, stylo prosequi non possum. Basilienses instant apud Principem, ut ad diem Johannis me redire cum familiola patiatur (a) si me reducere volet Christus, vellem equidem, ejus beneficio mihi concedi copiam Noribergam Deo & mihi carissimam, prius videndi: & te cæterosque Viros clarissimos salutandi: tuoque Christoph. Gabrieli (b) suaviter vagiendo perficienti laudes Dei, cujus demiurgi recentia in tenero ipsius corpusculo conspiciuntur, bene precandi. Sed Dei voluntas fiat. Scito autem Deum mitigaturum vestras publicas ærumnas & vos paulo post liberandos ab intemperie Hierophantarum.

(a) cum ante *Grynæus* decennium *Rætelæ* officio pastorali functus esset, *Carolo Marchione* assentiente A 1575. Basileam discessit, ea quidem lege, ut adhuc Marchicarum Ecclesiarum inspector esset, non incredibile, fuisse tunc temporis apud Principem, qui diutius quam par & gratum erat Basileensibus, eum retinuit. Hinc de ejus reditu soliciti, apud principem instant.

(b) vide seq. Epistolam XLI.